

dem ex libro cuius palam est, quibus plausibus multi Principes literarumque viri *Enneadas* exceperint: Hercules videlicet Atestinus, Dux Ferrariae; Joannes Bentivolius, Bononiae Dominus; Guidus Ubaldus Ferrarius, Urbinatum Dux, & alii. Ludovicus Odaxius, Brixianus, homo in literis eximius, & filiorum ejusdem Urbinatis Ducis institutor, literis ad ipsam datis magnopere illas commendat; & praeclarum illud sexus feminei decus, Cassandra Fidelis, ad auctorem earumdem scribens (a), *Nihil utilius, inquit, nihil speciosius, nihil absolutius factum aetate nostra puto. Cum antiquis id certare dicerem, nisi vererer me assentatione magis, quam quod ita sentirem, dici suspicareris. Ipsi literis Ferrariae datis XVI. kal. majas anni M.CCCC.LXXXVIII. gratulatur Petrus Bembus (b): Reliquum est, ut de septem historiarum Enneadibus, quas nuper edidisti, tibi gratuler, & laboribus tuis, quibus uberrimum fructum propositum video laudis & gloriae sempiternae, Joannes-Henricus Boeclerus, cujus de antiquis novisque scriptoribus judicia magni apud Germanos fiunt, in Bibliotheca critica (c) pag. 195. eam de Coccio sententiam tulit: M. Ant. Sabellici Enneades, nobile opus, & eleganti stilo conscriptum, multaque praeclara in rebus Italicis continens. Ac tandem epigramma referam, quod in ipsius laudem fecit Joannes-Matthaeus Toscanus, secundo Pepli Italiae libro pag. 33.*

(a) *Epist. LXXIII. p. 104.*  
(b) *Epist. fam. lib. II.*

(c) *Lipsiae, suntib. hered. Jo. Grossii 1715. in 8.*

*Coccius a prima complexus origine mundi  
Historiam, junxit cum brevitate fidem.  
Nec modo cuncta suis populatur scripta libellis,  
Omne sed autorum praeripit ille decus.*

Jovius contra vitio illi tribuit, quod dum nimium properat, studetque brevitati, res memoratu dignas tenebris involverit spississimis. Sed in *Enneadibus* omnium temporum, ab orbe condito memoriam complexus, uti necesse fuit, ingenti operis instituto festinanter indulgenti, res illustres praeclara cognitione dignissimas perobscura brevitate adeo offuscavit, ut excitatam uberrimo titulo legentium cupiditatem passim eluserit, quum omnia in acervum angustissime coarctata, nequaquam certa effigie, sed exiguis tantum punctis & lineis annotata designentur.

Sed multo acrius carpit Sabellicum Belcarius Episcopus loco eo quem supra nos produximus: suum enim erat, tueri sui Regis Galliaeque gentis dignitatem. Locum, etsi prolixior aliquanto est, lectorum oculis subjiendum putavi. Ante hos (Paullum scilicet Jovium & Paullum Aemilium) Coccius Sabellicus Venetas res a Gallis, praesertim Carolo octavo, Ludovicoque duodecimo gestas attigit: sed tanta mentiendi impudentia, ut Jovium quoque superarit: veluti cum Ludovicum Sfortiam ejusdem Caroli suasu, immo vero eum in id cunctantius incumberet, jussu Mediolanensem ditionem invasisse confingit, aut quum Foronovanae pugnae narrationem mendacis undique conquistis insercit: non publico edicto commissam fuisse: imata Tarri amnis ripis salicta Italos equites peditesque ita quibusdam veluti tendiculis irretiisse, ut pauci, iique dispartati ad certamen processerint: Mantuanum tamen tanto impetu in Gallos irruisse, ut Carolus Rex metu consternatus regiam clamydem exuerit, ne caeteris illustrior ab hostibus undique peteretur: a Gallis tandem Venetas iniquo loco dimicantes fusos, & pleraque id genus affingit: quem toto hoc loco Jovius eandem pugnam describens diligenter imitatur. Quibus refutandis non externis testimoniis utar: Italos ipsos scriptores, qui ejus regis historiam vulgari sermone enarrarunt, & testimonia sua literis consignata non agnoscere non possunt, imploro, atque contestor, Franciscum Guic-